DE PHLEGMATIA ALBA DOLENTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN REGIA

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

PRAESIDE

CHRIST. FRIDER. HARLESS

MED. DOCTORE ET PROFESSORE PUBL. ORDIN., REG. CONSILIAR. INT. AUL. ORDINIS IMPER. RUSS ST. WLADIMIR. IV. CL. EQUITE, COMPLURIUM ACADEMIAR. ET SOCIETATT. LITTER. EUROP. SOCIO, ORDINIS MED. H. T. DECANO

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE OBTINENDO,

DIE XVIII. DECEMBR. ANNI MDCCCXXXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS LEIDESDORF

NATU VIENNENSIS, NUNC. FLORENTINUS.

BONNAE.

TYPIS CAROLI GEORGII.

VIRIS AMPLISSIMIS ILLUSTRISSIMIS

CHRIST. FRID. HARLESS,

MED. ET CHIR. AC PHILOSOPH. DOCTORI ET PROFESSORI P. ORD. POT. REG. BORUSS. CONSILIARIO AUL. INTIMO, MULTARUM ACADEM. ET SOCIETAT. LITT. SODALI ETC. ORD. MEDIC. GRAT. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

NEC NON

HERMANNO KILIAN,

MED. CHIR. ET PHILOSOPH. DOCTORI ET PROFESSORI P. ORD. MODERATORI XENODOCHII OBSTETRICII BONNENSIS, PLUR. SOCIETAT. LITT. SODALI ETC.

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTORE.

I. *Morbi denominatio et notio.*

Morbus, qui nomina fert: Phlegmatia, sive Phlegmasia alba dolens Auctorum (Ferriar, Hull, Boer, White, El. v. Siebold, Joerg, Freyberg, Sankey, Gasper, Burns, Thomas, Davis, Struve, alior.) Oedema lacteum (Callisen), Scelalgia puerperarum, Sparganosis (scil. femoris, quasi involuti fasciis), Leucophlegmatia dolens, Phlegmatia lactea (Levret), Anasarca serosa (Cullen), Inflammatio lymphatica seu venosa femoris puerperalis, Phlebitis femoralis (Rob. Lee), Nevritis puerperalis (Dugés), Bucnemia spargantica (Mason Good), tumorem exhibet quoad formam aequalem, albidum, striis rubentibus saepius interpositum, splendentem, elasticum, magis minusve vehementer dolentem, inde ab inguinibus, ubi primum apparere solet, unum alterumve membrum inferius, femur maxime, rarius utrumque simul, et interdum crus quoque occupantem, ipsumque puerperis prae aliis accidentem, etsi non solis iis proprium. Primus, qui huius morbi aliquanto distinctiorem dedit descriptionem, fuit Mauriceau (1721. in operis notissimi lib. III, cap. VI „l'Enflûre des jambes et de cuisses des femmes accouchées."

Variae huius morbi denominationes iam satis indicant sententiarum, quas auctores de ipsius origine naturaque ha-

buerint, varietatem et vero diversitatem. Qualis vero haec sit fueritque, et quid de ipsa iudicandum, quove pacto haec sententiarum diversitas concilianda esse videatur, in sequentibus pro virium modulo dispicere studebo, postquam primum specialiorem morbi dicti imaginem, diagnosin, ac decurrendi modos exposuero.

II. *Morbi Symptomata et Diagnosis.*

Hic morbus rarioribus utique accensendus est, siquidem White 1) ex numero, ait, 1807 mulierum in Xenodochio „Westminster - General Dispensary" partus edentium, solummodo quinque puerperas, atque ex octo millium mulierum numero, quibus ipse in urbe Manchester parturientibus opem tulerit, quatuor tantum illo affectas sese observasse. Neque aliter de huius morbi raritate iudicant cel. Joerg 2), cui vix unum alterumve eius casum in largo, quo versatur, experientiae ambitu observare contigit, b. Albers *), El. v. Siebold, qui quinquies tantum in vasto puerperarum numero illum vidit 3), Wyer, Sankey 4), Rob. Thomas 5), Burns (in opere: principles of midwifery, german. vers. auctumque a cel. Kilian, Bonn 1836.). Neque tamen ubique locorum

---

1) Untersuchungen der Geschwulst bei Kindbetterinnen an den untern Extremitäten. A. d. Engl. Wien 1802.

2) Vid. Eius Handbuch der Krankheiten des Weibes. Zweite Ausgabe. T. II.

*) In epilogo ad Westbergii comm. de phlegm. dol. puerp., in Hufeland Journ. 1817. Februar.

3) Handbuch zur Erkenntn. u. Heil. der Frauenzimmerkrankh. 2ten Bandes 3ter Abschn. §. 407.

4) Observat. on Phlegmatia dol., in Edinb. Med. Journ. 1814. p. 4002.

5) Modern practice of Physic. Lond. 1820.

eiusdem morbi parem inveniri raritatem, sed nonnullis locis temporibusve eundem aliquando frequentius, quam in aliis, occurrere scimus. Neque minus certum est, eundem morbum, etsi puerperas prae aliis invadentem, praecipueque eas, quae in xenodochiis obstetriciis peperant, vel quarum cura in puerperio nimis neglecta erat, tamen aliis quoque feminis, neque gravidis neque puerperis, accidere posse, quin immo virginibus, sicuti ex observationibus Trevirani 6), Simons 7), Hazeltine 8), Struvii 9), constat, quorum uterque postremo dictus nominatim hunc morbum in virgine vidit. Quid? quod adeo exempla prostant virorum, hac phlegmasia alba dol. affectorum, qualia narrant Halford 10), White (l. m.), Sankey (l. m.), Simons (l. m.), nuperiusque Francis (in 70 annor. viro), Heermann (in brachiis), et Hosack; hi tres in Newyork *).

Quum tamen id certe experientia confirmatum habeamus, hanc affectionem puerperis prae ceteris propriam et peculiarem esse, in iisque longe frequentius ac in aliis

---

6) Heidelberg. klin. Annal. Bd. V.

7) Lond. Med. Journ. 1806. cfr. Horn's Archiv. 1819. Bd. II.

8) Ita lego in cl. Eisenmanni commentatione praeclara de Phlegmasiae albae natura et cura, in cl. Casper med. Wochenschrift, 1836. 1., ad quam commentationem paulo inferius quoque respiciendum erit.

9) Commentatio de phlegm. alba dol. Tübingae 1825.

10) London Lanzet, 1832. Mai. cfr. v. Gräfe u. Walthers Journ. der Chir. Bd. XXI. fasc. 2. Cl. Halford descripsit l. m. historias binas huius morbi, tum quidem Comitis de Liverpool, qui per plures annos phlegmasia a. dolente femoris crurisque sinistri laboraverat, pulsu arteriar. postremo, brevique antequam apoplexia ictus periret, ad 44 ictus in minuto temp. deveniente, et in cuius cadavere, arteria iliaca sinistra prorsus obliterata inventa est, id quod cel. Astley Cooper iam antea suspicatus erat; tum Centurionis cuiusdam.

*) Newyork med. Journal, T. I. cfr. Froriep Notizen etc. T. VIII. p. 10.

observari, eius symptomata, decursum et exitus ita, maxime, uti in illis inveniuntur, nunc exponamus. Gravidae ad hunc morbum proclives iam in ultimis graviditatis mensibus de dolore in lumbis iliisve et inguinibus, non raro usque ad os sacrum progrediente conqueruntur; neque raro deinceps glandulae inguinales tumescere incipiunt. Frequentius tamen fit, ut morbus ipso demum puerperii tempore, inter tertium ad octavum, vel adeo ad duodecimum et decimum quintum diem post partum exoriatur. Neque exempla desunt multo serioris eius proventus, ita ut Puzos semel ipsum duos menses post partum, et Stockes 11), atque Aronssohn 12) tribus quatuorve post puerperium elapsis septimanis, Schreiber 13) post mensem et quod excurrit, observaverint. Puerpera plerumque feliciter iam superatis omnibus, quae vel regularem partum comitari solent, molestiis, sine causa manifesta febre corripitur erethica, adynamica, interdum satis vehementi. Incipit haec ab algore, comitesque sunt magna hyperaesthesia universalis tempore praesertius aestus, lassitudo, anorexia cum siti, digestionis alvique turbatio, et quae reliqua esse solent febris nisi phlogisticae indolis, certe insigni erethismo nuptae symptomata. Ipsa tamen testibus pluribus auctoribus haud diu simplicis inflammatoriae rheumaticae notas obtinet, sed facile aut in febrem gastricam vel gastrico nervosam aut, quum suppuratio in femore pelvique locum capesserit, in f. hecticam cum tabis ex pure resorpto signis transit. Neque non fieri quoque potest, ut febris haec initio prorsus

---

11) Vid. C. C. Schmidt Jahrbücher der gesammten Medicin, 1836. Nro. I.

12) Schmidt Jahrbücher, 1837. No. IX. post peripneumoniam die 36ma, orta est phlegmatia.

13) El. v. Siebold Journ. für Geburtshülfe, Bd. XIII. St. 3. 1834. Casus memorabilis utique, in quo ex peritonitide postica 5ta septimana clarius exorta phlegmatia femoris paulatim in ingentem suppurationem omnium fere partium adiacentium abierat.

desit, aut aegrotae perlevi tantum febricula afficiantur. Deinceps vero aegrotae dolorem inconstantem, obtusum, circumvagantem in ima pelvi persentire incipiunt, eumque utplurimum in sinistro, rarius in dextro latere provenientem, et usque ad os sacrum protensum. Interdum tamen dolor hic in ipso femore oriri animadvertitur. Secretio lactis lactatioque ipsa inturbata permanere potest, confirmantibus id cl. a Siebold (l. m.) ex J. Chr. Schaefferi aliquot observationibus, nec non b. Gittermann, Eichhorn, et Francis, etsi contrarium multo frequentius fieri soleat, quemadmodum inter plures alios auctores etiam Grötzner 14) pluries observavit. Ita etiam ex ore Cel. Harless compertum habeo, ipsum in duobus, quos in puerperis intra tertiam et quintam post partum septimanam observavit et cum fausto eventu tractavit, exquisitis huius morbi casibus lactis secretionem prorsus suspensam invenisse. Atque ita hic status per tres quatuorve dies perstare solet, antequam morbus exacerbantibus pluribus nisi omnibus symptomatis graviorem induit speciem, id quod in nonnullis quidem casibus statim post primam accessionem febrilem fieri solet. Superveniunt nunc dolores vehementiores, continui, perfodentes, tam in imis partibus, quam in superficie, unaque nexu naturali in toto membri affecti ambitu summa sensibilitas et intolerantia tactus, vel leviter cutem premendo, et movendi artus impotentia iungitur. His accedunt fere semper universa valetudinis et coenaestheseos turbatio, horrores frigoraque, et serius narcosis femoris alterutrius. Dum ita saeviunt dolores aut in dextro aut in sinistro latere femoreve, rarissime in utroque simul, (sic apud Westberg), celerrime saepeque eadem nocte (Casper), saepe postero die (White) prodit tumor, a labio vulvae inguineque surgens et mox ad femur genuque, immo usque ad pedem sese expandens. Labium verendorum affectum siccum, calidum, summe dolori-

---

14) Vid. eius commentat. in perill. Rust Magazin 1828.

ficum sese habet. White (l. c.) nunquam, ait, utrumque labium una intumescere, sed tumorem uni tantum aut alteri labio arctis limitibus insidere, cui tamen Struve, Hull *), aliique repugnant. Tumor in femore apparens undique est aequaliter elevatus, percalidus, tensus, elasticus ex flavente albidus, splendens, impressui digiti non cedens, aequalemque in diversis corporis positionibus standove servans formam situmque. Tumidae partis temperatura plerumque ultra iustam aucta est, interdum tamen initio saltem ipsa naturalem haud excedere inventa est. Ipsius autem tumoris moles plerumque celerrime crescit, ita ut crebro intra horas 24 vel 30, plerumque tamen intra dies 2 vel 3 ad ingentem usque ambitum augeatur. Tumor haud ita raro femur primario affectum relinquere et in alterum transire, vel quasi inter utrumque femur alternare potest, uti casus memorabiles, ab Hampe, Aronssohn (l. m.), Anderson 15), Gittermann, Eichhorn 16) aliisque narrati commonstrant; ita quidem, ut declinante, attamen nondum prorsus cessante, tumore doloreque femoris alterius huiusque affecti similia phaenomena in altero nunc exsurgant. Tali quidem modo morbus pluribus in casibus formari solet: sunt tamen et alii casus, in quibus tumor primum in labio pudendorum et femore extollitur, et hinc demum ad suram et pedem progreditur, alii, in quibus brachium occupat. Neque etiam semper morbus tam celeriter procurrit: saepe enim 10 — 20 diebus opus est, priusquam tumor totum per membrum extensus ad summum fastigium evehitur. Temperatura partis tumidae longe

---

*) Eius Essay on phlegmatia alba dolens, Manchest. 1800.

15) Lond. med. Gazette, Vol. XV. March. 1835. vid. Schmidt Jahrbücher etc. I. Supplementband. 1836. pag. 310. Ibidem similem prorsus casum a Wilh. Clark quoque in muliere 40 annorum post puerperium observatum fuisse, brevibus dicitur.

16) Vid. binos phlegmasiae alb. casus ab ipso perbene descriptos in Heidelb. und Bad. Med. Annalen, 1836. T. I. Heft 3.

rumque aucta, nonnunquam vero in principio saltem haud mutata, quin immo imminuta observata est.

In omnibus fere, quotquot nobis innotuere, huius morbi casibus venae tam lymphaticae quam sanguiferae partium laborantium magis minusve tumefactae inveniuntur, atque videntur omnino glandulae vasaque lymphatica, praecipueque venae sanguineae magnas partas agere in gignendis illis symptomatis, id quod paulo inferius aliquanto accuratius dispicere et enucleare studebimus. Verum quidem est, non omnes, qui de morbo nostro scripserunt, auctores harum glandularum vasorumque intumescentiam observasse; at vix dubium, hoc ideo tantum evenisse, quod per partium circumiacentium intumescentiam, indeque ortam profundiorem illorum vasorum insinuationem haec non in conspectum venerint.

Morbum ita evolutum ad fastigium pervenisse, ex sequentibus cognoscitur symptomatis: membrum summopere est tumidum, (saepe volumen ultra duplum naturali auctius quam in statu normali); tumor quoad formam aequalis a labio verendorum usque ad pedem eiusdem lateris protenditur, isque albus est, nonnunquam lividus, et quod raro accidit, maculis rubris obtectus, non pulsans, percalidus, siccus, tensus, fereque semper fasciculos tensos venarum sanguin. et lymphaticarum inflammatarum quasi chordarum ex albido rubentium, semipellucidarum exhibens, vel strias subrubras, quarum unam R. Lee 17), cui praeclaram de phlegmasia alba, ipsi phlebitis femoralis audiente, commentationem, numerosis propriis observationibus atque cadaverum dissectionibus conspicuam debemus, partem operis amplio-

---

17) Rob. Lee Researches on the pathology and treatment of the most important diseases of women. Lond. 1833. germanice translat. a Schneemann, Hannov. 1834. Cfr. Epitomen eius in Neuen Sammlungen auserlesener Abhandl. etc. Bd. XIII. et in C. C. Schmidt Jahrbücher d. Med. Bd. X. Nro. 5.

ris de morbis puerperarum facientem, iuxta venam femoralem decurrentem observavit. Pariterque glandulae lymphaticae frequentissime et praesertim glandulae inguinales tumefactae reperiuntur. Attamen fieri fortasse potest, ut tumores nodosi vel tuberosi etiam ex inaequalitate inflationis telae cellulosae simul correptae formentur, et quibusdam in casibus cum intumescentia glandularum confundantur, quod C. Albers 18) iam monuit.

Tumor impressui digiti resistit, situque vel stando non minuitur, si vero acus infigitur, parum fluidi serosi tantum exstillat. Nullo autem modo fieri potest, ut membrum affectum sponte moveatur, quod Burns non dolori solum, verum etiam actioni nervorum turbatae tribuit. Febris continua inaequaliter remittens persaepe gastricae biliosae indolem simul induit, nonnunquam vero in phthisicae suppuratoriae naturam transit, aut etiam iam prius, viribus collabentibus, neuricae typhodis illam refert. Plerumque autem, quum nulla adsit puris in vasis inflammatis et in ipsa tela cellulosa secretio et effusio, et quum tumor criseos beneficae ope solvatur, febris una cum dolore sensim evanescit.

III. *Morbi ulterior decursus, duratio, et exitus.*

Morbus quum ad fastigium advenerit, eodem, quo increverat, ordine decrescere potest; ita quidem, ut, ubi omnia felicissime eveniant, ante tertiam vel quartam hebdomadem mulier ad sanitatem perfectam redeat. Attamen decursus plerumque multo tardior est; quapropter multi scriptores, in quibus et cl. Casper est vel saltem fuit, quum de hac re

18) Hufelands Journal d. pract. Arzneik 1817. Febr.

scriberet 19), morbum hunc chronicum habuerunt; quae opinio a Whiteo et Struvio (l. c.) et fere omnibus auctoribus recentioris temporis reiecta est, quippe qui morbum, pro acuto declararunt, talem licet, qui ex ipsorum mente paulatim quoque chronicus fieri posset. Quum omnia prosperrime eveniant, motibus febrilibus remittentibus, doloreque mitigato, tumor nihilominus multum per tempus remanet, id quod inde explicare licet, quod exsudans liquos tarde resorbetur; porro ipsa sensibilitas adeo diu adaucta manet. Pfeiffer 20) febre iam sublata et tumore collapso, per octo dies durantem cutis desquammationem, quam dicunt, observavit; cuius quidem phaenomeni nemo aliorum, qui de hoc morbo scripserunt, mentionem fecit.

In universum autem symptomata eodem ordine, quo ingravescebant, remittunt, et aegrotae intra temporis spatium supra dictum ad sanitatem redeunt. Sed non semper hic morbus tam feliciter decurrit; quin saepius pluribus diebus, hebdomadis, adeoque mensibus opus sit, antequam tumor collabatur, et membrum magnitudinem normalem recuperet. Ita in aliquot casibus, a R. Lee (l. m.), Anderson (l. m. ubi tumor ex sinistro femore in dextrum migraverat, et exinde pectus quoque et collum, axillamque una cum brachio invaserat) Eichhorn (l. m.), et Schreiber 21) enarratis factum est. Sunt vero et alii quidam casus, in quibus, etsi feliciter exeuntibus, tumoris color ille albidus non adsit, sed profunde rubens, aut fere ex atro caeruleus, maculasque latas referens, qualem descripsit Stocker 22) Du-

---

19) Commentar. de phlegm. alba dol. pag. 14. 1819.

20) Versuch über die Phlegm. alb. dol. Leipzig 1837. pag. 44.

21) Eius Beitrag zur Erkenntniss und Behandl. der phlegmatia alba dolens, in El. v. Siebolds Journal d. Geburtshülfe, Bd. XIII. St. 3.

22) Nomine phlegmatiae dol. caeruleae. Vid. Schmidt Jahrbücher, 1836. Nro. 1.

blinensis. Dolore, qui saepe tumore longius perstat, exstincto, stadium sequelarum secundum El. Sieboldum 23) incipit. Ineoque saepe videmus, membrum diu nisi sensibile certe debile manere; quid? quod interdum per totam vitae aetatem ambitum iusto maiorem et narcosin s. torporem sive paralyticum retineat. Attamen verae paralyseos vix metus erit, nisi nervus cruralis simul inflammatione affectus fuerit, quippe quo alteratio texturae ipsius unaque perfecta sensibilitatis iactura adduci potuerit.

Exitus phlegmasiae albae dolentis in universum multimode varius esse potest 24). Aut enim solvitur resolutione simplici benignaque, quae fit, dum cessante vasorum capillarium venosarumque erethismo spastico sanguinis ad vasa seroso-lymphatica reditus ad naturalem cursum fit, opitulante plerumque diaphoresi critica; aut liquor lymphatico-serosus gelatinosusve per vasa ista superimpleta exsudat, latexque ita per parietum interstitia vel ostiola inter telam cellulosam egressus maximam partem continere solet aquam, albumen, gelatinamque et fibrinae aliquid ex sanguine, una cum huius salibus; aut vi processus hydatogeneseos illius singularis, qualem in aliis quoque paraphlogoseos erysipelatosae speciebus (e. gr. in scarlatina) evenire videmus, aqua sola magis minusve albuminosa in telam cellulosam excernitur potius, quam effunditur, et sic oedema calidum primo formatur, quod deinceps, nisi mature resorptionis ope tollatur, in chronicum atonicumque transit; aut quum exquisitior inflammatoria fuerit venarum sanguinearum, ad v. iliacam confluentium, passio, non solum hac ipsae, sed circumdans quoque tela cellulosa suppurando abscedunt, ita ut suppurationes tales, pus plerumque haud laudabile, sed tenuius, acre, vel saniem fun-

23) Handbuch zur Erkenntniss u. Heilung d. Frauenzimmerkrankheiten, T. II. Abschn. 3. Cap. 4.

24) Conf., quae de hisce exitus modis praeclaro disseruit Cl. Eisenmann l. m.

dentes, pro re nata, modo in ipsis femoris crurisve finibus contineantur, modo latiori multo ambitu ad inguina non solum eiusque glandulas, sed ad peritonaeum quoque interius, pelvim eiusque vasa ac viscera circumvestiens, nec non ad vasa hypogastrii maiora, adeoque ad truncum venae iliacae communem ipsamque venam cavam, neque minus ad uteri internam faciem propagatae quandoque inveniantur. Tales quidem casus enarrarunt E. v. Siebold (l. m.), Casper (l. m.), Burns, Rigby 25), Aronssohn (l. m.) Struve (l. m. p 66. abscessus labii pudendorum), Eichhorn (l. m.), Schreiber (l. m. vita superstite in utroque casu), aliique. Aut denique tumor femoris inguinumve absque puris secretione, in gangraenam vel magis in sphacelum abit, id quod perraro quidem accidit, attamen exemplis non caret. Ita observarunt eiusmodi exitiosam metabolem, Lee (l. m.), Burns (l. m.), David Davis 26), Mann 27), Stockes (l. m. phlyctaenae maculaeque nigrae, vita tamen superstite), Aronssohn (l. c. phlyctaenae cum effusione sanguinis atri ex venis in dorso pedis). Memorabilem huiusmodi fere casum observavit Düsseldorfii duobus abhinc annis mecumque benevole communicavit cel. Harless, quem paucis hic adferendi copia mihi facta est.

Matrona annos circiter 50. agens, quae plurium liberorum mater iam inde ex decem annis non amplius pepererat, cuiusque catamenia iam cessaverant, rheumatica diathesi et proclivitate ad erysipelata iam pridem laborans, corporeque et viribus tenuis, ex refrigerio et simul ex biliosa intemperie in febrem rheumatico-gastricam inciderat, quae brevi vires tum digestrices et nutrices, tum nervosas eminentius confi-

---

25) Vid. Schmidt Jahrbüch. d. Med. 1836. Heft XII.

26) Ueber die nächsten Ursachen der phlegmasia a. dolens, a. d. Med. Transactions. Vol. XII. übers. in d. neuen Samml. auserles. Abhandl. f. pract. Aerzte, Bd. VII.

27) Medic. chirurg. Zeit. Ergänz. Bd. XXI.

ceret, cuique criseos imperfectae loco post diem nonum decimumve erysipelas admodum dolens cruris femorisque sinistri accessit. Durante hoc quum vires magis magisque laborarent, statusque qui dicitur nervosus cum crescente adynamia systematis sanguiferi et plastici synochi typhodis phaenomena luculentius evolveret, tumor ille erysipelae totus, femur nunc altius, ac antea, obsidens, anteaque ex albido splendens, elastice tensus, prorsusque puerperarum illi similis, haud concidit quidem, neque prorsus dolere cessavit, sed ex parte tamen, eaque praesertim inferiore, narcoseos torporisque phaenomena exhibuit, unaque cutis color in nigricantem, singulisque locis in vere atrum, qualis petechiarum maiorum esse solet, mutatus est, vibicumque et macularum ex livido nigrarum proventu gangraenae sphacelosae exquisitam speciem induit. Neque dubium videbatur, tumorem hunc paraphlogosi venarum femoris crurisque tam sanguinearum, quam lymphaticarum insignitum intus altius quoque, ultra inguina ad hypogastrii vasa membranasque processisse. Aegrota huic malo post longius demum temporis spatium, quam exspectasses, succubuit, typhi synochodeos torpidi phaenomenis ad summum evolutis. An incisus exploratusque fuerit in cadavere tumor et qualia in universum fuerint extispicia, vir cel., cui hanc debeo narrationem, et qui semel tantum ad visendam hanc aegrotam in illam urbem advocatus erat, haud comperit.

Caeterum haud dubitandum est, huiusmodo gangraenosam morbi nostri metabolem tum solummodo locum capessuram esse, quum iam singularis ad ipsam opportunitas ex cachexia quadam, viriumque nimia iactura adfuerit. Et quamvis numero multo pauciores sint huius morbi casus, qui in mortem exierint, certo tamen certius est, observari quandoque tales lethiferos factos, quemadmodum probant exempla a Davis, Caspero (l. m.), Aronssohn, Rigby (l. l. c. c.) aliisque narrata. Hinc mireris sane, quo iure Cl. Struve in dubium vocare malit morbi nostri talem umquam exitum, nisus solummodo suis observationibus, in quibus scilicet ae-

grotas vita servatas vidit. Concedit is scilicet, mortem tum modo, quum complicationes fatales interfuerint, accidere posse. Notandum adhuc, in casibus, in quibus ex quacunque causa, sive ignota ea manserit, sive in refrigerio vel vitiis circa diaetam regimenque reliquum et corporis et animi commissis posita fuerit, tumor ex alterius lateris femore in alterum transmigraverit, ita transpositum tumorem ex sententia Whitei et Cooperi (l. c.) minus periculi secum habere, faciliusque auferri. Quod reliquum est, in morbi ipsius declinatione, et quum inflammatio dolorque iam cessaverit, haud raro accidit, ut non solum tumor oedematosus frigidus femoris, sed etiam aliqua durities venarum femoris funium chordarumve ad instar rigentium (Anderson), et impotentia eundi cum aliqua rigiditate in articulatione femoris (Schreiber), torporque narcoticus, quin fere perfecta paralysis membri affecti per longius tempus remaneant.

IV. *Necroscopia.*

Haud pauci licet auctores, quemadmodum modo dictum fuit, hunc morbum valde periculosum, quin saepe lethiferum viderint declaraverintque, haud multum tamen hominum eo cisorum anatome hucusque culta est, ita ut ex hac extirpiocciorum in morbo dicto penuria praecipue explicare liceat, unde tam magna opinionum, quas paulo infra dispiciemus, de natura sedeque illius morbi exstare potuerit diversitas. Dum vero speramus, fore, ut proximo tempore, anatomiae pathologicae studio tam laete fructuoseque progrediente, haec, quae adhuc in obscuro ambiguove haerent, circa illud propositum, in clariorem lucem efferantur, hic loci sufficiat brevibus colligere, quae qualiaque recentius ab auctoribus, quotquot comparare licuit, in cadaveribus phlegmatia alba occisorum inventa et notata sunt. Haec inter memoratu

inprimis digna est historia necroscopiae in clinico Hallensi anno 1815 in tali casu factae, et descriptae a Cl. Casper (l. m) hisce verbis: „Crurum tumor post mortem in cadavere adhuc idem erat, utique aequalis. Lata uteri ligamenta insigne vasculis instructa videbantur, superficies interna uteri, sordido - viridi colore utebatur, mollis erat, gangraenosa, putrida —. Crurum cute tunc perscissa, tela mucosa visa est paulo lenior ubique liquido subfusco, odore carente, impletae glandulae inguinales sanguine solito abundantiores et tumidiores reperiebantur, musculi flaccidissimi erant, et in crure et in aliis partibus —. Vasa magna sanguifera omnino sana visa sunt in externa et interna superficie, eodem modo nervi crurales, ischiadici etc. nec tumidi nec rubefacti erant Memorabile tamen est, conditionem morbosam telae cellulosae non in solis cruribus, sed etiam per totam pelvim usque ad musculum psoadem etc. visam esse.“ David Davis 28), qui quater puerperarum hoc morbo defunctarum cadavera dissecuisse affirmat, venam cruralem, nec non venam iliacam externam et internam sanguine coagulato extensam, crassiorem, rubefactam et inflammatam, quin immo partim cum circumiacentibus partibus concretam invenit, utero cum annexis aut pariter inflammato, aut naturalem sanamque conditionem ostendente. Similia prorsus Bouillaud 29) in uno casu observavit. Velpeau 30) vasa lymphatica tumefacta, venamque cruralem et hypogastricam materia purulenta impletam reperit. Clarke 31) venas uteri invenit pure plenas, earumque maiores iusto crassiores s. densiores Wilson 32) vidit. Tommasini 33) quoque tam venas uteri

28) l. m. cfr. Frorieps Notizen Bd. VI.

29) Revue médicale, 1826. Avril.

30) Harless rhein. westphäl. Jahrb. Bd. IX.

31) Practical. Essays. etc. London 1793.

32) Transact. of a soc. for. improvement. of medic. and chir. Knowledge. Vol. I.

33) Oservaz. clinische etc.

et femoris, quam inferiorem venae causae partem morbose extensas et sanguine coagulato impletas observavit. Neque minus Aronssohn 34) venas saphenam, cruralem, iliacas internam et externam magna puris copia plenas, tunicas earum ex parte ulcerantes et maceratas, venam cavam partes pure refertam, itidemque venas renales, renibus ipsis integris relictis, glandulas inguinales modice tumidas, subrubentas, caeterum sanas, telam cellularem femoris pure refertam, integris tamen perstantibus venis femoris maioribus, uterum ipsum emollitum volumineque multo auctum reperiit. Ed. Rigby (l. m.) invenit effusionem lymphae plast. coagul. super intestinis tenuibus, purisque simul circa sinistrum posteriusque latus uteri, huiusque tunicam a peritonaeo venientem, uti ipsum uteri fundum nec non peritonaeum valde inflammata, venas autem in pelvi haud morbosas. John Davis 35) venam cruralem vehementer inflammatam, eiusque membranas spissiores vidit. Robert Lee 36) venae cavae et hypogastricae maximeque ramorum venae hypogastr. uterinorum parietes praeter naturam crassiores, ac superficie interna rubefactas, inflammatasque, sanguineque coagulato usque ad venarum iliacorum internar. in truncum communem unionem repletas observavit. In cadavere Comitis a Liverpool (vid. supra) Henr. Halford venam iliacam externam sinistram plurium pollicum longitudine coalitu prorsus imperviam, et eandem venam dextri lateris magnam partem ossificatam (ut aiunt) reperiit.

---

34) Journal de Méd. de Bourdeaux, 1836. vid. Schmidt Jahrb. 1837. pag. 202.

35) Mediz. chirurg. Zeitung 1826. Bd. VI.

36) Untersuch. über das Wesen und die Behandlung einiger der wichtigsten Krankheiten der Wöchnerinnen, (1833), a. d. Engl. übers. von Schneemann, 1834. Cap. V.

AETIOLOGIA.

a. Causae disponentes et occasionales.

Quae de causis huius morbi iisque tum proegumenis tum praesertim occasionalibus atque propioribus ab auctoribus varia et sat discrepanti ratione et cum maiore minoreve probabilitatis specie disputata sunt, haud facile ita, ut mihi quidem videtur, sunt concilianda, nec ita statuendae aetiologiae certae et ad therapiam rationalem certius condendam idoneae satisfaciunt, ut nihil dubii obscurique vel contradicentis sibi relinquant. Quidquid enim in hunc finem observatum prolatumque legimus, hoc certe constat, morbo, de quo agitur, utut raro, homines cuiuslibet constitutionis, cuiuslibet temperamenti, et cuiuslibet aetatis affici posse, neque nisi pueros immunes ab ipso esse videri, nisi indurationem telae cellulosae infantum phlegmasiae albae dolentis speciem habere velis. Tale quid tamen profiteri exinde non licet, quod utriusque morbi, utut in singulis quibusdam phaenomenis analogi quid exhibentis, natura ac symptomata essentialia manifesto valdeque inter se discrepant; sufficitque meminisse, indurationem telae cell. dolore et venarum sanguinearum passione phlogistica carere. Constat porro, morbum nostrum pariter in feminis (puerperis), bene valentibus antea sanisque, nec ulla manifestiori diathesi morbifica, vel cachexia, laborantibus, ac in infirmis et ex praegressis morbis commune semiacis ad talem passionem dispositis, observari, unde recte indicandum, haud absolute opus esse tali aliqua diathesi morbosa aut systematis vasorum lymphaticorum et sanguineorum telae cellulosae in universum, aut partiali topicaque uteri, aut glandularum vasorumque inguinum et hypogastrii, ad morbum illum provocandum.

Sunt quidem, qui existiment, uti Cl. Groetzner (l. m.), cachexiam leucophlegmaticam mulieres prae aliis ad illum morbum patiendum proclives reddere. At notissimum est, talem leucophlegmatiam vel oedema aeque regulares ac irregulares partus sequi posse, quin tamen ipsius phlegmasiae dolentis vestigium in lucem veniat. Atque revera in longe plurimis casuum phlegmasiae dolentis historiis, quas consului, de illiusmodi leucophlegmatia, vel diathesi ad talem, nihil prorsus memoratum inveni. David Davis affirmat, se observasse, mulieres, quae haemorrhagiis laborassent, praecipue ad illum inclinare. Alii (Lee) abortum, aut carcinoma mammarum, nec non uteri cervicis, aut, in viris tantum, inflammationem et vulnerationem venarum cruralium superficialium, aut ulcera intest. recti vel vesicae, alii (Sankey et Trye), turbatam interceptamve urinae se- et excretionem in feminis non gravidis, alii (Hazeltine) haemorrhoidum suppressionem, alii plures (Angli, et Struve quoque) mensium suppressionem, alii (A. Cooper, Halford) venae iliacae obstructionem, alii praegressam peritonitidem (Schreiber), aut pneumoniam (Aronssohn) ut causas occasionales accusant. Turbationes vero et suppressiones secretionis lactis ac lochiorum non exiguam vim ad phlegmatiam gignendam exercere, communis est complurium auctorum sententia, eique favent utique observationes haud paucae, in quibus proxime post lactis e mammis aufugium morbus ille apparuerat. Attamen aliae plures exstant, in quibus hoc non ita se habuit, aliaeque haud adeo paucae, in quibus (uti iam supra vidimus) lactatio durante morbo inturbata permansit.

Morbum porro ex refrigerio puerperii tempore, originem ansamque ducere, a multis auctoribus traditum, passimque observationibus suffultum invenimus. Ita e. gr. a R. Lee, Boer, Thomas, v. Siebold, Eichhorn (l. c.) aliisque factum videmus. Merito autem iam El. v. Siebold ad haec monuit, (l. c. p. 680), multo saepius nullum prorsus praecessisse refrigerium, et in paucissimis eorum ca-

suum, in quibus revera corpus puerperae, praemature et incaute lectum relinquentis, frigore correptum erat, certo probari posse, morbum ex hoc ortum cepisse. Specialius definitiusque morbi nostri causas propiores ordinare atque dispescere studet, etsi haud propriis nitens observationibus, cl. Eisenmann 37). Is enim de diversa phlegmatiae origine et indole cogitans contendit, inter causas tum procgumenas tum praesertim occasionales nisi proximas phlegmasiae albae primariae (nam hanc recte a secundaria distinguit hic auctor cl., ipsamque posteriorem s. secundariam modo ex metastasi modo consensus via oriri monet), rheumaticam affectionem telae cellulosae subter cutem et inter nervorum fasciculos musculorumque strata et aponeuroses praecipuum nisi principem obtinere locum, ita quidem ut talis rheumatismi indoles ac forma acutior sit magisque inflammatoria. Hanc vero phlegmasiam albam rheumaticam minime puerperis solis, sed aliis quoque mulieribus virginibus ipsisque maribus accidere posse idem observat. Caeterum idem cl. auctor in aliis casibus fomitem febris intermittentis, in aliis typhodem, in aliis cachexiae metastaticae quid subesse exstimat.

Sufficiant haec ad probandum, ex iisdem causis, quae in aliis morbo nostro praecesserant, in aliis aut nullum morbum, aut alium prorsus, ac phlegmasiam albam dolentem, provocari posse. Ita ut nihil fere aliud pro certo enunciandum restet, quam tritum illud, morbum, quippe virginibus maribusque rarissime adeo supervenientem, in ipsis graviditatis et partus adversis conditionibus variis principem invenire occasionem.

2. *Causa proxima, s. natura morbi.*

Haud minor profecto nobis obvenit sententiarum de natura huius morbi diversitas, eaque monet nos, virium moduli expe-

---

37) In commentatione supra iam laudata: Untersuchungen über die Natur u. Behandl. der Phlegm. alba dolens, in cl. Casper med. Wochenschrift, 1836.

rientiaeque propriae angustiae memores, nostrae, quam de vera illius morbi ratione concepimus, opinioni brevissimis tantum indigitandae praecipuarum, quae huiusque in publicum editae sunt, huius morbi theoriarum conspectum succinctum praemittere. Antiquissima auctorum, in Galliis de hoc morbo scribentium, sententia fuit, morbi nostri causam proximam in metastasi lactis nec non lochiorum ad membra, quae sedes fiunt morbi, positam esse. Sic Mauriccau 38) ex lochiorum suppressione et reflexu eorum aut ad ilii femorisque nervos vasaque cum harum partium inflammatione valde dolorosa, aut ad venas exinde obstructas hunc morbum produci existimat. Inter nuperiores solummodo Groetzner 39) huic opinioni propius accessit. Ab ipsa vero dicesserunt aliquantum Levret, Puzos, Deleurye, qui verám simplicemque lactis metastasin ut causam proximam huius morbi declararunt, ad hanc sententiam adducti splendide albo tumoris colore, quippe quem non nisi a lacte ipso, quod in tumoris huius sede depositum sit, pendere sibi persuaderent, dum simul lac ex mammis abire animadverterent. Erroneam tamen speciosisque potius quam vere comprobatis argumentis superstructam, neque cum experientia, qua phlegmatiam puerperarum nonnunquam absque lactis suppresione nullatenusque turbata mammarum functione (vid. supra) provenire et

---

38) Op. cit. Tom. I. pag. 446. „Cette enflure survient souvent en suite d'une douleur sciatique causée par un réflux, qui se fait sur ces parties, des humeurs, qui devroient s'évaueer par les vidanges.“ etc. Memorat tum M. casum feminae ipsi adfinis, cui ex hoc morbo claudicatio per omne reliquum vitae tempus remansit, porroque animadvertit, tumores hosce, quum inflammatione stipatae sint et a suppressione lochiorum ortum ducant, febre, dolore acerbo, respirandi difficultate, magna ventris tensione comitibus, admodum periculosos esse, minus vero periculi esse tum, quum similes tumores absque febre, ab urinae retentione proveniant.

29) Perill. Rustii Magazin Bd. XXVIII. 1828.

durare scimus, neque cum physiologiae atque pathologiae sanioris et provectioris principiis consonam talem metastaseos esse suppositionem, nuperius a pluribus auctoribus, nominatim a cl. Casper, Carus 40), El. v. Siebold, Eisenmann (l. c.), Denman (l. c), aliisque demonstratum est. Atque meminisse hic sufficiat, in tanta multitudine casuum, in quibus turbatio vel etiam suppressio secretionis lactis et lochiorum accidit, perraro tantum phlegmasiam albam obvenire, insuperque (uti iam supra dictum) interdum feminas haud gravidas, virgines, immo adeo viros hoc morbo affectos observari.

Primus autem, qui supra dictam Gallorum opinionem directius oppugnaret, aliamque prorsus viam ad morbi naturam explicandam iniret, Car. White fuit. Etenim is morbum illum compressione et obstructione plurium vasorum lymphaticorum, subter ligamento Poupartii iu pelvim procedentium, ex uteri gravidi premente vi producta, atque proinde illarum ruptura cieri autumavit, quo facto lymphae effusae in partibus affectis cietur cumulatio. Causam vero localem contusionis rupturaeque in eo posuit, quod in partu difficili caput infantis vasa lymphatica versus pelvim premat; quum vero, addit, valvulae vasorum lymphae regressionem prohibeant, fieri non posse, quin vasa superimpleta tandem rumpantur et liquorem contentum effundant. Ad haec tamen monendum est, morbum plerumque sero post partum incidere, ipsumque aeque difficiles, quam leves partus insequi posse, eundemque etiam graviditatis tempore observari. Nihilominus Whitii in partes permulti alii abierunt, eiusque sententiam, etsi non omnem, nec absque aliqua in singulis variatione, vel mutatione, tuiti sunt nominatim Trye 41), Denman, Maunsell (l. m.), qui phlegmatiam pro exquisita telae cellulosae inflammatione habet, Gardien, Thomas (l. m),

40) Eius. Lehrbuch der Gynaekologie. T. II. 1820.

41) Essay on the Swelling of the lower extremities incid. to lying in women. Lond. 1792. Insignis liber. Glandulas lymph. in pelvi et inguinib. potissimum inflammatas esse, T. statuit.

Mason Good (l. m.), Duncan (l. c.), ex parte quoque Ferriar 42), Carus (l. m.), in morbosa processus plastici in pelvis organis huc facientibus mutatione operationeve morbi illius rationem prox. conspiciens, Steffen (in Hufelands Journal, T. L. 1.), atque Casper (l. c.). Horum tamen quatuor posterius dicti viri cl. cl. in eo a prius dictis discedunt, quod simul exinde ortam inflammationem vasorum lymphaticorum atque nonnunquam etiam telae cellulosae statuunt, atque in hac ipsa potius causam proximam phlegmatiae albae collocant. Huic sententiae favent quoque J. Chr. Schaeffer 43), et ex parte Siebold (l. m.), qui insignem potius vasorum lymphaticor. erethismum ad phlogosin proclivem, quam vere efformatam illorum inflammationem in plerisque casibus adesse exstimat, verae licet inflammationis, quae nervos sacrales et crurales simul nec non aponeuroses corripiat, efformationem in gravioribus casibus etiam admittens, nec non Anderson, Eichhorn (l. m.) et ex parte Eisenmann, qui tamen in eo discedit, quod cellulosae non tam veram inflammationem, sed ex irritante aliqua causa, praecipueque ex rheumatica, densationem et intumescentiam telae cellulosae subter cutem, ad interiora quoque et ad glandulas venasque lymphat. progredientem, eamque subphlogisticam, ut primariae phlegmatiae albae causam proximam haberi velit, dum secundaria ab aliis causis pendeat.

Ad hanc theoriam, telae cellulosae vasorumque lymphaticorum inflammationem praecipuo loco collocantem, fere eodem tempore tertia accessit, modo dictae haud quidem absolute contraria, sed quasi media, siquidem et ab eius statoribus inflammatio accusatur ut causa proxima morbi nostri, at haud lymphatica ipsa, sed vera venarum sanguiferarum, sive phlebitis. Huius quidem doctrinae auctor

---

42) Medical Histories 1798. cfr. Sammlung auserles. Abhandlungen. Bd. XIX. 1. 2.

43) Vid. apud E. v. Siebold l. m. p. 684.

potissimum fuit Anglus Dav. Davis (de quo adhuc postea dicendum), eumque secuti sunt Guthrie (apud Lee), qui phlebitidem hanc hypogastrico-femoralem ex utero, inflamma. tione primaria vasorum suor. correpto, ortum ducere autumavit, et praesertim Rob. Lee, strenuus validusque Davisii sententiae defensor, quippe qui pluribus, quas fecit, observationibus cadaverumque dissectionibus lucidius, ac antea quis, evincere studuit, phlegmatiam albam in puerperis esse revera phlebitidem femoralem et cruralem, oriundam ex uteri venarum ad hypogasticas pertinentium inflammatione, eaque deinceps telae quoque cellulosae, quae vasa cruralia circumdat, inflammationem provocante. — Nuperius cl. Struve (l. m.) conciliare studuit hanc thoriam cum antea dicta Casperi reliquorumque, inflammationem vasorum lymphaticorum hic potius adesse statuentium. Is enim, dum sedem originariam rationemque proximam phlegmatiae puerperarum in vasorum lymphaticorum, quae in plexum lumbarem coeunt, phlogosi collocare mavult, in huius testimonium non solum causarum disponentium, atque occasionalium, huiusmodi inflammationi lymphaticae prae primis faventium, naturam, sed etiam conditionem adducit glandularum lymphaticarum valde tumidarum, rubicundarum, tensarum, nodosarum, atque funiculorum vasorum lymphaticorum, tensarum, tumidorum, admodumque sensibilium utpote quae phaenomena inflammationi idio- et protopathicae nervi cruralis adscribi non posse, observat. Idem ad sectionem provocat cadaveris a cl. Casper narratam, in qua vasa lymphatica gravi alteratione ex phlogosi correpta inveniebantur, neque non ad eventum salutarem methodi medendi ab ipso adhibitae. His vero expressis verbis addit ipse cl. Struve: „non negabimus tamen, quum observationes recentiores physiologicae et pathologicae luculenter demonstraverint, praeesse resorptioni non sola vasa lymphatica sed etiam extremos venarum ramulos et ipsas venas, a veritate non abhorrere, morbum nostrum non solum in inflammatione systematis lymphatici, sed simul in ea seriei

venarum (sanguiferarum), quibus partes affectae instructae sunt, esse collocandum, unde eo facilius explicari posset, cur tam repente intumescat membrum affectum, cum simul tum vasa lymphatica, tum venarum (sanguif.) ramuli officio resorptionis non amplius fungantur."

Illam vera, quam Dav. Davis (vid. p. 22) pluribus in medium protulit, sententiam inter nostrates primus cl. Harless 44), et antequam is Davisii nuperiorem de phlegmasia dolente commentarium viderat, brevibus professus erat, ad haec animadvertens, morbum hunc semper erysipelate composito vel complicato stipatum esse. Paulo vero serius, postquam Davisii observationes ipsi innotuerant, idem cl. Harless 45) propius accessit ad huius auctoris sententiam, maluitque censere, morbum nostrum ad phlebitides potius referendum esse, modo scilicet Davisii observationes de origine et sede primaria phlegmasiae albae dolentis ulterioribus medicorum observationibus prorsus confirmatae fuerint, expressius addens, morbum hunc pro inflammatione (erysipelacea) vehementi unius aut plurium venarum sanguinearum principalium in pelvi decurrentium, praesertim venae iliacae alteruterius eiusque ramorum, habendum videri, ita quidem, ut huius demum phlogoseos progressum et expansionem sequatur venarum femoris non solum sanguinearum, sed etiam lymphaticarum inflammatio. Aque sic revera morbum nostrum semper inflammationis, vel certe paraphlogoseos mixtae speciem sanguineo-lymphaticam exhibere, modoque magis venas sanguineas, modo magis et luculentius venas resorbentes, femoris et inguinum praesertim, ferire, idem auctor cel., quem aliquoties hunc morbum forma quidem et decursu admodum variantem observasse ex ipsius ore nuper comperi, inde ex illo tempore certius cognovit.

---

44) In sui Systematis Nosologiae specialis parte I. (Confl. 1826.) pag. 325.

45) In auctario ad calcem Vol. I, op. citati.

Ut vero nunc specialius Davidis Davis 46) circa adgumentum illud doctrinam dicamus, claris verbis hanc is hisce exprimit verbis: „Causa proxima huius morbi posita est in inflammatione vehementi unius aut plurium venarum in cavo pelveos aut in proxima eius vicinia decurrentium, cuius vi venarum dictarum membranae incrassantur, in superficie harum interna pseudomembranae efformantur, et diminuta hac ratione vasorum diametro liquor contentus pedetentim coagulat, quin immo vasa haec introrsum penitus obstipentur, ita ut sanguis nihilominus per ramos adductus ulterius promoveri nequeat; unde haud raro vasorum suppuratio texturam parietum omnem destruens et latius ad vicina serpens oboritur." Atque revera eiusmodi suppurationes in magno horum non solum vasorum sed maiorum quoque truncorum, scil. iliacarum, venae cavae ipsius itidemque v. femoralium etc. ambitu in hoc morbo obvenire, probant non solum historiae extispiciorum, a Davisio factorum, sed aliae etiam similes, ab Aronssohn, Rigby, Schreiber (aegrotae, cui ex inciso ad psoadis regionem tumore profundo magna puris copia, ex ilii et femoris vasis telaque cell. proveniens, erumperet, vita superstite), Eichhorn (aegrota pariter servata) etc. confirmant. Davisii sententiae Velpeau 47) magna ex parte adsensit, postquam ipse pus in venis et vasis lymphaticis detegerat. Idemque is pariter ac Wilson 48), Pinceau 49), et cl. Naumann 50) opinionem fovent, inflammationem ex venis uteri originem ducere, atque inde in venam spermaticam, iliacam, cavam et cruralem transire. Dance 51) porro

46) In med. chirurg. Transact. Vol. XII. part. II. 1822. pag 419.

47) Bulletin des sciences med. Juillet 1824. cfr. Froriep Notizen etc. T. X. April 1825. Cl. Velpeau ubique (in 3 casibus) simul alterationem morbosam synchondroseos sacroiliacae inveuit, eamque ut morbi initium considerat.

48) Medico - chirurgical Transactions 1829.

49) v. Frorieps Notizen etc. T. XVI. p. 46.

50) Handb. d. Klinik. Bd. II. p. 743.

51) Archives generales 1829. Fevrier.

addit, inflammationem venarum uterinarum illo loco, quo placenta adhaeserit, primum provenire.

His omnibus pensitatis et ego nullus dubito, quin transeam in eorum partes, qui inflammationem venarum sanguinarum ut causam principem, modo non unicam, huius morbi declarant. Etenim pro certo est habendum, graviditatis tempore et post partum venas in pelvi et vicinia facilius ex tanta irritatione congestiva ad erethismum non solum sed ad ipsam phlogosin vel certe paraphlogosin patiendam disponi, dum iam in mulieribus non puerperis optimaque valetudine utentibus varices venarum crurum haud raro animadvertimus. Neque secus ex accuratissimis observationibus a Wilson (l. m.), Ribes 52) et iam olim a Morgagnio 53) factis clare elucet, venarum inflammationem tempore graviditatis aut post partum rem esse minime raram. Si porro phlebitidis symptomata in mentem revocamus, magnam inter haec et illa phlegmasiae albae dolentis invenimus similitudinem. Quemadmodum enim in decursu phlebitidis symptomata generalia provenire solent, quae puris in superficie venarum inflammatarum interna secreti praesentiam eiusque in sanguinem circulantem immixtionem indicant, qualia sunt horror frigens, delirium, dolores circumvagantes, lingua sicca, sudores colliquativi, aliaque symptomata febris adynamicae hecticaeque factae, ita in phlegmasiae albae dolentis gravioribus casibus prorsus similia quoque observari supra vidimus. Et quum his serius accedant pulsus intermittentes, habitus ille cachecticus, qualis purulenta labe affectorum esse solet, unaque absentia crustae inflammatoriae, ob turbationem functionis chylopoeticae et sanguinem gelatinoso - fibrosum praepaaantis, analogia uti diagnosis morbi eo minus dubia redditur. Si praeterea observationes a D. Davis, Lee, Anderson, Meckel, Velpeau, Dance, Wilson aliisque supra

52) Revue medicale An. 1825.

53) De sedib. et caus. morbor. Epist. I. VI. nr. 10.

citatis V. V. Cl. descriptas comparando ponderamus, summo jure contendi posse nobis videtur, in inflammatione venarum uteri tali, quae ex inde ad venas crurales etc. immo adeo ad atrium cordis textrum usque serpit, causam primariam huius morbi positam esse. Neque obest, quod alii, uti Casper (l. c.) et Duncan (l. c.) casuum mentionem fecerunt, in quibus vasa tantum lymphatica morbose affecta reperiebantur, neque venae sanguin. inflammatae, neque pure refertae. Nam praeterquam quod observationes huius generis numero rarissimae semper sint, accedit, quod in talibus casibus maiores tantum venarum rami perquisiti fuere, neglectis parvis venarum uteri ramulis, in quibus inflammatio sedem habere poterat. Caeterum inter se tam arcte cohaerent systemata venosa et lymphatica, ut grandis alterius affectio, cuius non particeps fiat alterum, vix cogitari possit. Atque haec lymphatica vasa in phlegm. dol. alba inflammationem aliqualem etiam participare posse, et nos neutiquam negamus.

Notanda denique venit alia adhuc explicandae morbi nostri naturae via, qua ipsa in primaria nervorum passione inflammatoria ab aliis posita est. Primus quidem Hull 54) hanc opinionem ex parte fovit, cui mox C. Albers 55) accessit, ita tamen, ut morbum non pro inflammatione vera, sed pro insigni hyperaesthesi nervorum cruralium declararet. Etenim is, dolores et impotentiam membri movendi, semper, ait, tumore prius apparere, cui accedat, quod etiam tumore cessante dolores diu saepe durare, pariterque movendi adynamia interdum usque fere ad paralysin perstare soleant. Quae sententia, quum revera speciem quandam probabilitatis prae se ferat, et inter alios etiam aliquatenus ipsi El. v. Siebold (qui tum, quum inflammatio in phlegmatia surrexerit, hanc illico ad nervos sacrales, maximeque ad n.

---

54) Essay on Phlegmasia dolens, 1800. p. 204. admittens quandoque neuritidem ex inflammatione telae cellul. et musculorum.

55) Vid. Hufelands Journ. 1817. Febr. p. 16.

ischiadicum et cruralem eorumve neurilemma, nec non ad musculor. aponeuroses transferri ibique figi existimat), arriserit, speciatim a Martinet et Dugés 56) adoptata et sub accuratius examen vocata est, eo cum eventu, ut Dugés haud dubitaret hunc morbum nomine nevritidis puerperarum insignire, eiusque quinque diversas formas statuere, nimirum: 1) nevritidem puerperal. simplicem, 2) oedematosam, 3) phlegmonosam, 4) oedemato - phlegmonosam, 5) gangraenosam. Sed ne fusius, quam instituti ratio admittit, in hanc rem excurramus, satis est, animadvertere, neque phaenomena super adlata, neque causas proegumenas sufficere ad naturam morbi vere neuriticam demonstrandam, dolorem vero non tam in nervo crurali, quam maximam partem in glandulis et iuxta vasa eorumque nervis sentiri, omnia vero symptomata, tum in vivo corpore, tum in mortuorum anatome vix vestigium luculentius inflammationis nervorum, sed longe clarius affectionem vasorum significare.

PROGNOSIS.

Quum huius morbi natura adhucdum tam dubia sit et controversa, causarumque propiorum uti ipsius decursus morbi tanta prostet varietas et differentia, cuique rei perito clare elucebit, quam difficillimum sit, quin immo fieri non possit, ut certa eaque generaliter constans prognosis statuatur. Unde intelligitur, ex singulis casibus illa hauriatur necesse esse. Auctorum vero plurimi admodum sinistram fatalemque huius tam dolorifici, tam periculosi morbi prognosin enunciarunt, ut C. Albers 57), cl. Carus 58), cl. Casper (l. c.), cl. Siebold; alii e conrraris multo minus malam statuunt. Etenim White (l. c.)

---

56) v. Frorieps Notizen. Bd. VIII.

57) Hufelands Journal der prakt. Heilk. 1817. Febr.

58) Lehrbuch der Gynaekologie. Bd. II.

affirmat, se nunquam morbum illum suppuratione vel morte terminatum, aut aliud quamque malum exitiosum inde relictum vidisse, nisi quod convalescentibus membrum ante affectum a motu vehementiore facile intumesceret. Neque secus Rob. Lee (l. m.) morbum nostrum in universum haud periculosum, neque nisi rarissime lethiferum esse iudicat. Similiterque Maunsell 59) censet, in eo licet a Rob. Lee discedens, quod non phlebitidem venarum femor. sanguinearum sed telae cellulosae inflammationem pro morbi causa proxima haberi velit (vid. supra). Ex casibus a Struve observatis apparet, e quindecim agrotis octo valetudinem perfectam recuperasse, duo tantum occubuisse, quarum scilicet altera, mulier, post abortum metrorhagiasque pluries repetitas in febrem hecticam incidit, alterumque virum paralysis pulmonum a vita abstulit, ceteris autem intumescentia femoris chronica relicta est. Quaecunque autem et quomodocumque sequantur, quovis in casu praesertim a complicationibus diversis malum comitantibus nec minus a stadio et gradu morbi magis minusve provecto praesagia pendent; certumque est, initio morbi multum, in seriore autem eius stadio, quum iam febris lenta adsit crescensque indies debilitas, aut quum suppurationis internae, vel per femur crusve omne prorepentis, aut gangraenae sphacelosae indicia prodeant, parum tantum ab auxilio medicorum sperare licere. Praeterea in ferenda prognosi hic quoque earum generalium atque specialiorum conditionum ratio est habenda, quibus in äliis quoque morbis rectae praedictiones snperstrui debent; quales hic praesertim erunt affectiones animi deprimentes, haemorrhagiae copiosae, egestas atque inopia, et res aliae corpus debilitantes, quibus quippe accidentibus exitus morbi infaustus plerumque timendus erit. Utut vero sit, in universum omnes auctores in eo conspirant, morbum hunc semper ma-

59) Practice of Midwifery, Lond. 1834. cfr. Schmidt Jahrb. der Med. 1835. no. 6.

xime dolorificum esse, eumque haud raro per longum tempus protrahi , saepeque mortem adducere, idque tum maxime, quum in gangraenam vel suppurationem transeat, etsi exempla adsint (vid. supra citata) , in quibus vita servata est , licet magnae suppurationes in inguinibus iliisque ad psoades usque musculos, nec non in femore locum habuerint, et extus abscedentes tumores felici arte sanatae fuerint. Nonnunquam etiam febris mali moris, nervosae indolis, quae febri malignae puerperarum valde affinis est, mortem inducit. In simplici vero leviorique morbi decursu graduque intra unius et quatuor aut ad summum quinque hebdomadum spatium morbus plerumque lysi potius quam crisi iudicatur, dolorque et omnia reliqua symptomata sensim evanescere solent. Neque tamen desunt exempla, in quibus verae crises per sudores copiosos vel etiam per urinam hypostaticam morbum terminant, idque praesertim tum , quum is rheumaticae naturae fuerit, et a refrigerio provenerit: sed tum quoque remanent saepius sat diu adynamia membri affecti, gravitas eius torpida , aut sensilitas dolorifica, aut etiam oedema atonicum.

THERAPIA.

Ex diversis medicorum opinionibus de morbo nostro haud minus diversae medendi methodi emanarunt. Quo factum est, ut haud raro ingressi sint medici curandi vias medicinasque aeque arbitrarias ac divergentes sibique oppositas, aut etiam mere empiricas, prout scilicet ex eventu bonae vel saltem felicis curationis huius vel illius ad talem pluries repetendam vel apprime commendandam commoti fuerint. Sic remedia irritantia et revellentia adhibenda esse fortiora ad lochia revocanda Mauriceau censuit, purgantia vero remedia quatuordecim diebus post partum demum praeberi

iussit. Puzos contra venam secare primus suadet, remediisque externis emollientibus uti, et fomenta frictionesque oleosas et saponaceas adhibere. Tum Levret cataplasmata cum lacte vel ovi vitello proposuit, adiecitque, dolore mitigato, aliquid croci; ad interna vero remedia salia media praescripsit. Nuperius White, dum curam antiphlogisticam commendat, cavendum esse, monet, ne nimia sanguinis copia detrahatur, propterea quod inflammatio sit symptoma, nimia vasorum lymphaticorum expansione effectum. Fac, ait, ut alvus sit soluta, et dolor remediis opiatis mitigetur, emplastraque vesicatoria ad femora tumentia ponantur. Et alii quoque, ut Hull, Boer, Albers, et b. Gittermann 60) in vesicantium usu ad femora coxasve, et crura, eoque pluries repetito, medelae summam ponunt, exemplisque optimum successum probarunt. Alii itidem (uti Boyle 61) moxas femori applicare iubent, et ab iis egregiam opem exspectant praedicantque. Aliter vero David Davis praecipit, quippe suadens, ut primum hirudines et tum emplastrum vesicatorium, quod is quoque laudat, parti affectae applicencentur, porro ut membrum calore modico foveatur, atque digitalis praebeatur, circulationis sanguinis retardandae causa. Struve autem mitem curam antiphlogisticam parvamque hydrargyri mur. mitis dosin proponit, ut alvus solvatur. Idemque remedia diuretica et diaphoretica, quae alias reiicit, tum quidem, quum morbus hic chronicus est factus, adhibet, emplastra vero vesicatoria, ab aliis (vid. supra) iam ab initio morbi adhiberi proposita, idem ille inutilia declarat; eademque periculosissima censet Mann 62). Porro remediorum

---

60) In Hufeland Journal d. prakt. Heilk. Bd. L. Januarheft. Tumor et dolor ex dextro in sinistrum femur migraverant, post duos menses demum. Lactatio vero per omne morbi tempus inturbata prorsus mansit.

61) v. Frorieps Notizen Bd. XVIII. p.

62) Medicin. chirurg. Zeitung. T. XXI.

stimulantium alterantiumque et infusionum frigidorum, quae Davis laudat, balneorumque calidorum a Whiteo commendatorum nec non electricitatis artificialis a Callisenio adhibitae usus modo prosperrimum modo, nullum, modo infelicissimum produxit effectum. Atque comprobant profecto haec veritatem effati Sieboldi illius: omnem medici artem in eo versari, ut ipse in qnovis casu singulo quam accuratissime conditionem praesentem distinguat.

Quum igitur, quin is morbus naturae sit inflammatoriae, haud dubitem, id qnod medicorum plurimorum clarissimorumque medendi methodus confirmare videtur, huic axiomati rationem et regulas methodi medendi superstruendas esse puto, ita scilicet, ut modificandae curationis eiusque singulorum hominum singulae conditioni adaptandae copia libertasque omnino detur. Quum itaque in morbi dicti exortu primisque potius phaenomenis ipsum minitantibus haud satis cautum fuerit, ne ultra ingravescat, aut quum neglecta fuerit cura prohibens, ne functiones puerperii gravius turbentur, aut ne iusto maturius puerpera lectum relinquat seque refrigerio periculi semper pleno exponat, morbo exinde luculentius crescente omnis opera adhibenda est, ut causae propiori, quam ei subesse cognoveris, obversaris, quantum id scilicet per difficultatem, quae saepe adest, notitiae causarum huius morbi occasionalium certioris sibi parandae fieri poterit. Posito autem casu, qualis certe crebrius accidit, ex refrigeratione morbum provocatum fuisse, consultissimum erit, functionem cutaneam suppressam tum remediis diaphoreticis scite electis, tum leniter calidis tepidisve balneis et frictionibus modicis revocare.

Ubi autem lochiorum suppressio praecesserit, huius causas inqnirere cognitasque pro re nata removere, idque faciendo lochia revocare consilii est. Quem in finem magna cum utilitate fomentis ad regionem hypogastricam, balneis semicupiisve, hirudinibusque ad pudenda utaris; porro curandum, ut aegrota collocetur in conclavi patulo, bene sito, cui puri aeris aditus saepius patefiat, et ut, quantum fieri potest, ab ipsius animo

avertantur graves commotiones et pathemata infesta. Patiens vero membrum ipsum ab omni rerum nocentium externarum impetu defendere, diaetam strictam tenuemque e vegetabilibus potius idoneis, parca iusculorum carnis additione mixtis ordinare, potulentaque refrigerantia et temperantia praebere conducet. Deinde cura directior contra morbum ipsum, eaque ratione quidem stadii, ac maioris minorisve vehementiae, nec non temperamenti atque constitutionis aegrotae habita, apte persequenda est. Venaesectio, a Davisio, Boer63), Stromeyer, Albers repudiata, ab aliis, uti Siebold, Lee, Simmons, Eisenmann, tantummodo in exquisitius sanguinea inflammatione, sive veriore phlebitide, admissa et commendata, in levioribus utique casibus, in quibus talem inflammationem haud urgere ex pulsu ceterisque indiciis vides, omittenda est; at tum, quum morbus illiusmodi vehementiora symptomata phlogistica prodat, locum sine dubio ipsa habebit, satisque maturo tempore instituenda est. Multo frequentior autem locus hic est sanguinis detractionis localis per hirudines, quorum (numero 12 — 15 — 20) applicatio ad locum maxime dolentem haud raro repetitis vicibus fieri debet. Horum sanguisugorum usum fere omnes de hoc morbo scribentes commendant auctores ut necessarium et utilissimum, idemque et nuperrime a cl. Clemens64) observatis confirmatur. Attamen esse possunt casus mitioris gradus, ut illi a cl. Struve observati fuisse videntur, in quibus nulla prorsus sanguinis detractione opus est, sed quibus curandis praeter diaetam regimenque usus salium mediorum et iuxta vel post haec praesertim hydrargyrus muriaticus mitis sufficere possunt. Medicaminum ipsorum, ab auctoribus praecipuis in variis morbi gradibus modisque cum fructu adhibitorum laudatorumque magna omnino est copia atque varietas, medicique periti providique erit, in singulis casibus quae inprimis

---

63) Abhandl. u. Versuche gebursshülf. Inhalts. T. II.

64) Beobachtung. über d. weisse Schenkelgeschwulst. Frankf. 1837.

idonea ex iis videantur, eligere. Atque dum primo adhuc stadio, eoque phlogistico, exstat morbus, indicantur praecipue salia illa temperantia, et simul diaphoretica aut diuresin moventia, uti kali vel natrum nitricum, aut natrum sulphur., vel tartarus natronatus, vel ammonium aceticum, nec non tartarus stibiatus, praestans hic aliis antimonialibus, nec non a multis magno cum fructu adhibitus multumque laudatus hydrargyrus muriatus mitis; quibus ad dolorem leniendum tum opium parva dosi, tum melius in plerisque casibus hyoscyamum coniumve addere iuvabit. Opium tamen tum, quum salium maiore dosi ad alvum aperiendam opus sit, omittendum est. Ad locum morbo affectum fomenta e linteis aceto calido humefactis White commendat; magis autem apta esse videntur epithemata ex liquore ammonii acetici, vel sale ammon. in aceto soluto, vel similia illis quae Carus suadet. Atque tum etiam, quum morbus nervosi quid, modo non luculentius adynamici torpidique, secum habeat, cavendum, ne ad usum medicamentorum stimulantium intemperatum et intempestivum adduci te sinas, sed medium inter haec et antiphlogistica remedia viam ingrediaris, qualis erit usus digitaleos cum ammonio acetico, aut hydrargyri muriat. mitis illius cum opio, aut pulvere Doveri. Neque tum quoque, dolore acerbius saeviente, negligenda est localis sanguinis detractio; interne vero praebenda loco salium, aut cum pauco sale ammoniaco vel ammonio acetico vel ammonio benzoico iuncta, idonea medicamina narcotica, ut digitalis, conium, aconitum, hyoscyamus, ipsumve opium, aut infusum rad. ipecacuanhae. Et quum crescant symptomata adynamiae, vel alicuius status typhodis, convenient melius valeriana, angelica, serpentaria, praesertim arnica, camphora, quin etiam moschus. Praetereaque clysmata ex asa foetida cum infuso valerianae similiumve plantar. nervinarum utiliter operari possunt.

Quum morbus per longius tempus absque luculenta tumoris mutatione et remissione perduret, etsi inflammatio neque vi creverit, neque in statum malignum, neque etiam in

suppurationem transiverit, usus topicorum fortius excitantiam plerumque necessarius fit, ut tum nervorum tum lymphaticorum vasorum auctiore energia laticis seroso - gelatinosi resorptio et resolutio vividius cieatur. Hunc in finem Boer, Albers, v. Siebold, Gitterman 65), Busch 66) aliique emplastra vesicatoria, vel repetitis adeo vicibus, femori imponere maxime suadent; neque minus ab iisdem aliisque epithemata aromatica cum camphora, et frictiones cum unguento mercurii ciner. solius, aut cum ungu. digitaleos (v. Siebold) aut cum ungu. althaeae (Steffen) optimo cum successu factae laudantur. In eodem morbi stadio secundo protractiore ad internum usum, praeter arnicam, etiam squilla cum rheo, guaiacumque ab aliquibus, praesertim autem praeparata antimonialia et digitalis a plurimis laudata sunt. Ita e. gr. Hull (l. c.) et Westberg 67) mane et vespere gtt. XXX tinctur. digitalis et gtt. X tinct. opii simpl. bono cum successu dederunt. Quorum similiumve remediorum usus quum ita prospere successerit, ut morbus in tertium stadium, convalescentiae scil. incipientis, declinante et subsidente tumore, doloreque et febre sensim cessante, transeat, ad debilitatem saepe permagnam, quae adhuc remanet, curandam, diaeta magis roborans, infusa amara vinosa, china, ferrum, et quae alia remedia tonica huc faciunt, locum habebunt. Ad incommoda autem topica eaque diversa, quae morbum gravem sequi solent, crurum oedema, narcosin, contracturam etc., tollenda talibus, quae pro singulorum casuum ratione magis apta videbuntur, externis auxiliis satis diu insistere oportet.

At ubi febre sensim remittente, doloreque multum minuto, tumor tamen chronicus, adhucque tensus spissusve remanet, motu simul impedito vel membro ad paralysin vergente, indicantur frictiones cum linimento volat. campho-

---

65) Hufelands Journal. 1820. Jannar.

66) Gemeins. Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. II.

67) Hufelands Journ. 1817. Februar.

rato vel simili, vel ex tinctura cantharid. diluta, itemque suffimigia e vaporibus infusi vinosi baccarum iuniperi, fomenta aromatica, praecipue autem applicationes continuatae emplastri vesicatorii alternis vicibus, aut frictiones caute faciendae unguenti stibiati, vel melius unguenti hydroiodici, postea autem balnea salita, pediluvia, aut (ubi copia est) balnea marina; membroque paralytico applicanda est fascia circularis per aliquot menses ferenda. Suppurationes autem, si quae apparent, uti etiam gangraena sphaeelusve superveniens praeter interna remedia idonea, diligentissimam desiderant curam chirurgicam, cui, utpote cuique artis perito satis notae, hic specialius exponendae facile suparsedeo.

VITA.

Natus sum ego Maximilianus Leidesdorf Vindobonae anno saeculi nostri XV patre Maximiliano Leidesdorf, matre Elisabeth e gente Kremes, quos parentes adhuc inter vivos veneror; fidei sum addictus catholicae. — Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium adii Vindobonense, quod per annos quinque frequentavi; inde valetudinis causa Florentiam petii, ubi domicilium patris est, ibique cum per annum essem versatus, studiorum accademicorum causa Pisam me contuli. Hic a Rectore Magnifico Sproni in civium accademicorum numerum receptus, in albo ordinis gratiosi medicorum nomen professus sum. Post biennium Florentiam reversus, academiam medicam Florentinam per annos duos et dimidium frequentavi. Exinde Lutetiam Parisiorum profectus, ibi adhuc per annum medicinae operam navavi.

Scholae philosophicae et medicae, quibus per quinque annos et demidium interfui, hae sunt.

I. *Philosophicae.*

Physice Pisae apud cl. Puccinotti et cl. Gerbi. Botanice apud cl. Savi patrem, Zoologia et Mineralogia apud cl. Savi fil. Chemia apud cl. Branchi. Logice et Psychologia apud cl. Sacchetti.

II. *Medicae.*

Pisae. Anatomia apud cl. Peretti. Physiologia apud cl. Biancini. Anatomia pathologica apùd cl. Studiati. Therapia apud cl. Barzellotti.

Exercitationum practicarum mihi duces fuere in clinico medico cl. Morelli, in clinico chirurgico cl. Regnoli.

Florentiae. Pharmacologiam me docuit cl. Taddei. Artem obstetriciam cl. Mazzoni. Chirurgiam et doctrinam de operationibus chir. cl. Andreini. Therapiam specialem cl. Bufalini. Clinico medico per annos duos ducibus cl. Bufalini et Vantini, Clinico chirurgico duce cl. Andreini partim auscultans partim practicans interfui.

Parisiis. De pathologia speciali audivi cl. Andral. De anatomia pathologica cl. Cruveilhier. Clinicis medicis interfui ducibus cl. Rostan, Andral, Bouillaud. Clinicis chirurgicis ducibus cl. Cloquet, cl. Ricord (de morbis venereis), cl. Civiale (de lithotritia). Clinico obstetrico duce cl. Dubois.

Studiorum cursu absoluto cum in eo essem, ut Doctoris gradum mihi pararem, idque ut in universitate germanica fiat mallem, fama Reg. Universitatis Bonnensis adductus, hanc petii, et per quinque menses ibi commoratus adii instituta clinica hic loci florentia. Quorum quidem Directoribus perillustribus, reliquisque, quorum eruditione uti licuit, ordinis gratiosi Professoribus clarissimis publice hoc loco grates quas possum maximas persolvo.

THESES.

1. *Fluida c. h. primariam adfectionem morbosam pati possunt.*
2. *Digitalis in quibusdam adfectionibus cordis valde nocet.*
3. *Circulatio in vasis capillaribus non omnino a corde pendet.*
4. *Morbus morbo sanatur.*
5. *Ad morbum quemvis solvendum certa virium incitatione opus est.*
6. *Phlegmatia alba dolens genuina in solis feminis adultis locum habet.*
7. *Non est nervorum inflammatio vera.*
8. *Stoechiometria perparum facit ad medicaminum vires rectius cognoscendas et dirigendas.*
9. *Chemiatria omni tempore plus damni quam utilitatis adtulit.*
10. *Methodus sic dicta simplex in morbis syphiliticis mercurii usui praeferenda est.*
11. *Bubo syphiliticus ex prima puris formatione incidatur.*
12. *Forceps non premendo sed trahendo agat necesse est.*